

1524

*Gauferius
in brachio
vulneratus.*

fligati eo die fuere ; inter quos præcipui nominis Petrus Bajardus , ac Joannes Cabaneus , qui equo militaria stipendia cum imperio meruerant . Gauferius vulnere in brachio accepto , lectica delatus , unum id cum reliquis Ducibus curabat , ut incolumes , quantum fieri posset , trans Alpes copiæ reducerentur ; tormentis , quæ itineri impedimento futura erant , neque per Augustæ Prætoriæ vallem , qua iter facturi erant , nisi vehiculis deferrri possent , in arce novem passuum millibus ab Eporedia relictis ; Cum interea Bothelinus , qui cum quadringentis equitibus subfido Gallis Sebusium usque pervenerat , his auditis , in Gallias reversus esset . Foederati , levioris armaturæ equite emissi , qui hostes insectaretur , tormentisque in potestatem redactis , quæ Galli cum gravioribus impedimentis reliquerant , ulterius minime progrediendum censuere . Legato namque Senatus Venetus significaverat , Insubrum fines egredi e Republica minime arbitrari : longius enim abductis copiis , neque Insubrum finibus , neque Venetis ditionibus recte consultum iri : at vero , si rationes belli ulterius progredi compellerent , ac in Montisferrati , vel in Sabaudiæ Ducis fines copiæ ductandæ forent , militum licentiam coerceret , Marchionique , ac Duci significaret , id a Senatu in mandatis habuisse , ut ab omni injuria eorum ditiones vendicaret . Legatus igitur Venetus ad Laudem , quæ Gallis parebat , recipiendam cum Metaurensum Duce ; Davalus cum Hispanico peditatu ab Alexandriam occupandam profiscuntur . Laus , cui Julius Severinas præerat , vi non expectata , ad nostros accessit . Alexandria , quæ Federici Bozzoli auspiciis in fide Gallorum continebatur , cum jam Alpes transgressum Gauferium certis nuntiis accepisset , ultro in Cæsareanorum potestatem concessit , Italij militibus in Gallias commeatu permisso , qui cum ad quinque millia essent , magno usui Francisco Regi fuere .

Hic eventus Gallicæ expeditionis fuit , quæ summo ardore , ingenti mortalium opinione suscepta , languescente primum concitatæ nationis impetu , mox imperatoris fastu , ac arrogantia repressa , impares exitus habuit : is enim qui minax , ac jactabundus Italiam summa vi , maximisque copiis ingressus fuerat , consilii inops , pavorisque plenus , accisis rebus , in Gallias reversus est . Senatus cum egregiam erga Cæsarem voluntatem re ipsa comprobasset , atque omnia , quibus

ex

*Urbinas
Laudem o.
cupat .
Alexan-
dria ultro
Cæsareanis
se dedit .*